Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1563
Quelle:
Copyright:

ne Autores ſacros profanosque miſcet, confert. Neuter porro *Sermo* lucem, quod ſciam, vidit.

XV. *fol.* 226. *Sermo de S. Trinitate ſuper verbis Apoſtoli: Communicacio ſancti ſpiritus ſit ſemper cum omnibus nobis. domini Petri de Aylliaco.* Initium: *Magnus chriſtianorum Theologus celeſtis ille ſecretarius et diuinus apoſtolus Paulus* &c. Extat inter Opera *Argent. 1490. f.* Nobis ad calcem legitur: *Per d. Petrum de Aylliaco Epiſcopum Cameracen. factus Janue coram Petro de luna dicto Benedicto 13. Anno d. 1405. Occaſione cuius idem ſub bulla inſtituit feſtum S. Trinitatis dominica poſt Penthecoſten*, et plura de *Indulgentiis* ab eo datis, ſed adjicitur: *Quia tamen fuit antipapa extra eius obedienciam hec conſtitutio non curatur.* In *Edit.* mox memorata *Conſtitutio* haec ipſi *Sermoni* ſubjicitur. Adludit ad eam *Joh. Gerſon* in *Tract. de Viſit. Praelat.* 1408. conſcripto T. II. *Opp. omn. col.* 560. ubi ait inquirendum Viſitatoribus: *de Feſto Trinitatis ſolennizando prout Papa noviter inſtituit.* Eo igitur anno *Petro de Luna* nondum nuncium remiſerat. Quod vero ait: *noviter inſtituit*, cum limitatione intelligendum; jam enim *Gregorio* IV. et *Johanni* XXII. ejusmodi quid tribuitur, et certe *Alcuinum* jam *Orationes Miſſales de Trinitate*, et *Stephanum* quendam *Leodienſ. Officium* compoſuiſſe teſtis eſt *Micrologus* c. 60. et *Miſſas de Trinitate* in *Germania* frequentatas Canon Concilii *Saligunſtad.* ad an. 1022. Apertiſſime vero *Rupertus Tuit. de div. Officiis* L. XI. c. 1. Trinitatis Feſtum Dominica poſt Pentecoſten celebrari jam Sec. XII. adfirmat.

XVI. *fol.* 238. *Sermones II. de Aſſumtione B. V.* Prior in illud: *Maria optimam partem elegit. Luc.* 10. hoc initio: *Beatus bernardus in quodam ſermone* &c. Alter in illud: *Aſcendit ſuper cherubim. Pſal.* 17. hoc initio: *Sanctiſſime virginis et matris dei ac domini omnium ſalvatoris* &c. Sermo uterque dirigitur ad *Reverendos P. Magiſtros ac dominos*, et poſterior ita ſubſcribitur: *Factus eſt hic ſermo per Magiſtrum mychaelem ſuechenſchatz doctorem Theologie in vigilia aſſumpcionis beate virginis in eccleſia carmelitarum. anno domini 1406 wyenne.* Facultati Theologicae hoc anno Decanus praefuit Noſter, univerſae vero Academiae Rector et ad D. *Stephani* Canonicus a. 1409. Haec e *Speculo Acad. Locheri.* Inter *Scriptores Univ. Vienn. Sec. I.* p. 64. ejus Opera *mſs.* enumerantur.

XVII. *fol.* 262. Orationes ſive Proluſiones in laudem S. Scripturae e Statutis Facultatis Theologicae *ſupracit.* praemittendae ſolennioribus Actibus Academicis, numero III. Initium primae: *Docebo te quid loquaris. Exod. c. 4. Beatus auguſtinus cupiens ſacram ſcripturam nobis amabilem reddere* &c. Adhaeret huic *queſtio diſputata in Aula Reuerendi*

Ma-